



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

S. Joannes de Deo Confessor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

mem, sterilitatem, & belli, ac coeli fulmina, recitemus hodie Lytanas de omnibus sanctis, specialiter nominandô: *S. Veremunde! ora pro nobis.* Audiunt sancti, & juvant, dum sumus miseri.

Festum S. Joannis de Deo Confessoris, & Ordinis Hospitalitatis Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! in afflictione, in cruce, vel desolatione vivimus? Non contristemur! Hic S. Joannes, quòd vocatus sit *de Deo*, meruit suâ fortitudine, & patientiâ. Ut & nos simus, & vocemur filii Dei, tollamus crucem, & laudemus in adversitatibus Dominum. Non pigris, non otiosis, sed patientibus dabitur nomen, & regnum filiorum Dei.

Instructio meritoria.

Ut afflictæ, & desolatæ animæ non deficient in fide, vel à Christo se separant, septem speciales patientiæ actus hodie exerceamus cum S. Rosario Doloroso. Quod impenditur misero, impen-

penditur ipsi Christo. Quàm ergò pretiosa Charitas proximi!

II.

Afflictiones non solùm sustinuit fortiter Joannes, sed & sponte quæsivit, inventasque augere studuit. Ideò stultum inducit, factus peripsema omnium. Erubescat hîc fastuosa hominum superbia! fili! quàm modica adhuc præstitimus in humilitate Christiana! si vivamus sine adversario, nemo sciet, quid possimus, ne nos ipsi quidem. Ad noticiam sui opus est experimento. Nemo vires suas didicit nisi tentandò.

Instructio meritoria.

Ut tamen crescamus in virtute tam nobili, resistamus hodie omni respectui, vel laudibus humanis de die sapiùs repententes in corde: *Domine! propter te! omnis autem homo mendax.* Suffragiorum locò addamus 12. Pater, & Ave cum totidem osculis terræ. Tot Gradus humilitatis, & patientiæ sunt.

III. Quid

III.

Quid video? Joannem medium inter flammam, & tamen innoxium. Quis conservavit? charitas pauperi & misero impensa. Corde erga Deum, & proximum intus ardente, quidquid mali evenerit ad extra, non tangit amantem. Fili! non volumus uri! Diligamus.

Instructio meritoria.

Hæc charitas, ut in devotis familiis S. Joannis de Deo sit quotidie flagrantissima, erga obvios pauperes, & miseros, 12. actus multæ charitatis reflexè exercendos offeramus SS. Trinitati cum suspirio S. Augustini: *Domine! da cor, quod te cogitet, animum, qui te diligat, mentem, quæ te recolat, intellectum, qui te intelligat, rationem, quæ tibi semper summè delectabili fortiter inhereat. Ama, & amaberis.*

Festum